



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

Eridanus Phætonem consolatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

**E**cquid amas male sane senex? cumq; Arnide lympha  
Quid tibi? num nostro hæc nequior Eridano?

## AD FRANCISCUM AELIVM.

**n**on Aeli me longi qdē grauat ipsa senectus,  
Sed quod abest heu tot millibus Eridamus.

**I**lle meos ignis leuat, et mea uulnera sanat.  
Heu qui sanet, abest, qui leuet, ille et abest.  
**F**undite Pierides nimbum, qui diluat ignes.  
Stella uel è cœlo quæ medearis ades.

## ERIDANVS Phaethontem consolatur.

**a**mbustum Phaethonta rotis solaribus, auræ  
Exceptum flumis destituere uadis.

**S**uscipit Eridanus, fotonq; liquestibus undis.  
Solatur densis clausus arundinibus.

**P**arce precor Phaethon lacrimis, tua uulnera sensit  
Saturnus, summi pulsus ab arce poli.

**C**uiq; suis stant fatu locis, mihi uoluitur amnis,  
Amnis inexhaustis non redditurus aquis.

**T**erra tibi est genitrix. cœlum tamen inde petisti,  
Ipse docet casus, quid ferat hora sequens,

**E**xpertus patrum decus, ingratiusq; parenti  
Cede polo, et tenebris qua potes usq; late.

**T**utius in paruo uiues lare. sors mihi in amne est,  
Et tamen a' nimbis, a' pluvijsq; petor.

**O**ptasti currus patrios, excussus ab illis  
Vix nostris tutus sedibus hospes ades.

**Q**ui ruit ex alto, præceps ruit. ima ruina  
Nulla est. è summo qui cedit, ille cedit.

ERIDANORVM

Te casus, te flamma docent, quid iure timendum  
Auxilium nostris qui petis ustus aquis.  
Hospitio læti aci pimus, dabiturq; quod optas.  
Quicquid opis nostræ est, sub tua uota uenit.  
Talibus Eridanus. gemitus hic substulit heros,  
Oraq; flumineo torrida rore lauat.  
Mi genus exitio fuit, incertiq; parentes.  
Me studium famæ traxit in excidium.  
Exul agor cœlo pulsus, patrijsq; quadrigis,  
Ejcat & tellus, ustaq; pellit aqua.  
Solaq; in Eridano superat spes. hæc ubi dixit,  
Illi madidos concidit ante pedes.  
Sulleuat hunc genitor, solioq; imponit acerno;  
Atq; hos cœruleo mouit ab ore sonos.  
Est mihi nata tuis amnis comes. hanc tibi trado  
O phaethon, nostræ pignora certa domus.  
Vix hæc, cum teneris circum conitata puellis  
Prodit de thalamis Eridanea patris.  
Affuit & formosus Hymen, cecinitq; hymenæos,  
Omnis & ad thalamos turba uocata ait.  
His phaethon felix tedis regnauit ad amnem,  
Et iunxit socero sceptra superba suo.  
Nunc alto positus solio, nunc pressus ad imum  
Fortunæ instabiles edocet esse uices.  
Nos quoq; fatorum leges per utrumq; securi  
Solamur cantu tempora nostra senes.  
Hinc amor inde venus mulcent dulcissime Carbo  
Ut mihi sint senij tædia nulla mei.  
Stella mihi solamen adest, mihi molle leuamen  
Eridanus, niueas dum canit inter aues.

Ipse canit, recinunt cycni. iunat aura carentis,  
Hos inter cantus en mea nympha uenit.  
Amplexuq; senem dignatur, et oscula iungit,  
Et nostra in tenero collocat ora sinu.  
Exitus hic uitæ, post bella, grauisq; labores  
Sive senecta leuis, seu iuuenilis amor.

## DE ERIDANEA, Pasyale, &amp; Stella.

Inter frondosas salicum requieuerat umbras.  
Capta uiri illecebris Eridanea sui,  
Ipsa suo crinem domino pectebat, eburnis  
Componens digitis, marmoreaq; manu.  
Candida fulminei mirantur brachia cycni,  
Miratur niueum populus alba decus.  
Blanditur dominis littu, blanditur et unda,  
Vernaq; odoratis aura strepens folijs.  
Mincius ex alia, uiridem recubabat ad alnum  
Pasyale in tenero ludit amata sinu.  
Ipsa parat sertumq; sibi, sertumq; marito,  
Serta simul uiolis, pictaq; ferta rosis.  
Illi Naiades, fusæq; per arua Napæ  
Selectos flores, lilia tana ferunt.  
Comit nymphæ uirum, comit uir, et ipse maritam  
Ludit et alterno nuptaq; uirq; sinu.  
Tusibus his, dum spectat amor, dum mater amoris,  
Ipse et amor plaudit, plaudit et ipsa Venus.  
Ecce procul deuicta Pado, Nereidas inter  
Stella micat, radijs Stella coruscet suis.  
Qualis mane nouum surgens Cytherea sub ortu  
Inter clara deum sydera prima nitet.